



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermannii Conringii De Antiquitatibus Academicis
Dissertationes**

Conring, Hermann

Helmestadii, 1674

Svpplementvm III. Ad pag. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

arbitror improbabit. Nec verò vel nunc habemus quod de iis adferri in medium queamus.

SUPPLEMENTVM III.

Ad pag. III.

Antiquissimis, non multò post diluvium, temporibus, in Canaanorum populis, priusquam illi per Israëlitas excisi & terræ eorum fuerunt justo Divino judicio occupatæ, celebrem aliquam obtinuisse doctrinæ culturam, indicat nomen urbis *Kiriat Sepher*: hoc enim idem est atque si dicas *Vrbem librariam aut librorum*. *Enim vero jam pridem antea Urbem id nominis in celebri fuisse fama, indicat sacra Josuæ historia cap. xv. versic. 15. & 16. Ascenditq. Chaleb inde ad habitatores Debir: cuius nomen antea fuit Kiriat Sepher. Dixitq. Chaleb: qui percusserit Kiriat Sepher & ceperit eam, dabo ei Achsah filiam meam in uxorem.* Igitur isthac ætate superfuit vetus urbis vocabulum *Kiriat Sepher* & post mutavit in *Debir*. Viri docti nonnulli, interque eos ipse Hugo Grotius, existimant hanc esse urbem illam, quæ Xenophonti nuncupatur *Phœnicum gymnasium*. Verùm primo γυμνάσιον ætate Xenophontis non Scholam literariam significavit, sed locum exercitiis corporis destinatum. Deinde Xenophontis ævo non fuit amplius in usu appellatio prisca urbis illa *Kiriat Sepher* sed *Debir*, nec ulla ibi schola celebris fuit. Nihil proinde & de illâ Canaanorum schola potest dici: etsi indubie fuerit insigni olim fama, ut quæ toti urbide derit à libris suam appellationem.

SUPPLEMENTVM IV.

ad pag. eand.

DE AEGYPTIORVM scholis statim p. 3. fecimus Dissertationis initium: idque meritò, quoniam hæ maxime olim celebres, & laudem ad posteræ etiam secula eximiam transmiserunt.

Dd 2

Quo.